



EXCELLENTISSI-
MO ATQVE AMPLISSIMO

Principi, D. Petro Tellez Gyron Ossunæ Duci,
Marchioni de Pennafiel, Comiti Vrueniæ, Domino de Moron, Archi-
dona, &c. Didacus Gomezius Cornejo legum Primarius in Of-
funæ Academia doctor, & eiusdem Principis Trium-
uir prouocationibus iudicandis.

S. P. D.



*S*ÆPISSIME videmus ita natura esse comparatum,
ut à maioribus in posteros non solum rei, sed voluntatis
etiam hereditas perueniat. Cuius generis exemplum ne
aliunde queramus, cum in manibus sit, concede quaeso,
Excellentissime Princeps, ut à te sumam. Heroicæ istæ
virtutes tuæ, in quas natura inclinas, & præcipue liberalitas, & magni-
ficentia, quæ ita notæ sunt, ut maleuolus qui eas non laudet potius, quam
assentator, qui laudibus extollat, merito existimetur, quis non videt ab
excellētissimis illis heroibus maioribus tuis ad te quasi hereditatis iure
peruenisse? Vere, ut eleganter mihi cecinisse videtur Horatius:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in iuuenis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Atq; si magnis componere parua fas est, idem in me ipse experior, qui
Antony Gomezij clarissimi Iurisconsulti nepos pari voluntate, facultate
dispari in eadem, in qua ille, studia tota mēte, omniq; animi impetu fe-
ror. Cumq; nihil sit, quod ad se rem vllam tam alliciat, tam trahat, quam
ad actionum imitationē naturæ, morumq; similitudo: effectum est, ut tu
qui gloriosis maioribus tuis simillimus es, Antonium Gomezium auum
meum, quē excellentissimus attauus tuus multis beneficijs olim ornauit,
eundem nunc denuo in me nepote cohonestes: & ego aui mei doctissimi vi-

A 2 ristū-